ex quo totum corpus conexum atque con-
pactum accipiat augmentum in admini-
strationem Christi; Hoc corpus aecclesiae.
& quicumque huius corporis tenuerit ca-
put & cetera membra seruauerit.
habebit integrum corpus quantum potest
recipere humana natura; Iuxta hunc
modum. & animae integritas est seruan-
da est. quae dicere potest. benedic
anima mea dominum qui sanat omnes infirmi-
tates tuas & de quas scribtum est misit
uerbum suum & sanauit eos; spiritus quoque in no-
bis integer conseruatur. quando non esti-
mus in spiritalibus; sed uiuimus spiritu. adque
escimus spiritu & opera carnis mortifica-
mus spiritu. afferimusque omnes fructus eius
caritatem gaudium pacem & cetera;
Aliter praecipit nobis salomone dicente.
Tu autem describe ea tripliciter in consilio & sci-
entia. ut respondeas uerba ueritatis
his qui proponunt tibi; Triplex in corde
nostro discribtio. & regula scribturarum est;
Prima ut intellegamus eas iuxta his-
toriam. secunda iuxta tropologiam
Tertia iuxta intellegentiam spiritalem;
In historia eorum quae scribta sunt ordo
seruatur. In tropologia de littera ad
maiora consurgimus. & quicquid in pri-
ori populo carnaliter factum est iuxta
moralem interpraetamur locum. & ad ani-
mae nostrae emolumenta conuertimus
In spiritali θεωρια ad sublimiora

transimus. terrena dimittimus
de futurorum beatitudine & caelestibus
disputamus. Ut praesentis uitae disputandi-
ta sit umbra futurae beatitudinis;
Quos tales Christus inuenerit ut et corpore
& anima & spiritu integri seruentur.
& perfectam in se habeant triplicis in
se scientiae ueritatem. Hos sua pace
sanctificabit & faciet esse perfectos;
Multi simpliciter hunc locum de resurrec-
tione intellegunt. ut et spiritus & anima
& corpus in aduentu domini integri conser-
uentur; Alii in hoc loco triplicem in homi-
ne uolunt adfirmare substantiam.
spiritum quo sentimus animam quo uiuimus cor-
poris quo incedimus; Sunt qui ex anima
tantum & corpore subsistere hominem
disserentes. spiritum in eo tertium non substantiam
uelint intellegi sed efficientiam. per quam
& mens in nobis & sensus & cogitatio & ani-
mus appellatur; & utique non sunt tot substan-
tiae quot nomina; Cumque illud obposi-
tum fuerit Benedicite spiritus & animae
iustorum dominum. scribturam non recipiunt
dicentes ea in hebraico non haberi;
Nostrum in praesenti loco supradiximus spiritum
qui cum anima & corpore integer con-
seruatur non substantiam spiritus sancti quae non potest
interire sed gratias eius donationesque
accipimus quae nostra uirtute uitio
& accenduntur & extinguntur in nobis
EXPL AD HEDIBIAM.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0467